DEO OPT. MAX. ET SANCTO LUCÆ,

ORTHODOX. MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA

MATUTINIS AGITANDA DISPUTATIONIBUS

IN SCHOLIS MEDICORUM

CELEBERRIMÆ CADOM. ACADEMIÆ,

PRO APOLLINARI LAUREA CONSEQUENDA,

PRÆSIDE M. NICOLAO POSTEL,

REGIO ET ORDINARIO MEDICINÆ PROFESSORE.



CADOMI,

Apud JOANNEM CAVELIER, Regis & Academiæ Typographum.

M. DC. LXXXV.

Vtrum Peripneumoniæ hybernæ κάθαρσις ἡγεμονικόν?

I.

PULMO ſpiritalis antlia, ſpongioſúmque ſanguinis & aëris conceptaculum, viſcus eſt, ſi non princeps, ſaltem Patritium, & principibus affine. Res mollis & rara, innumeris cellulis, vel potius veſiculis mirâ arte contexitur. Diſtentionis & contractionis particeps, membranoſi magis eſſe debuit, quàm carnoſi cenſus: certè nuſquam minus ſanguineum, quàm dum ſanguinis eſt officina; non quidem ſola, dantur enim plurimæ: at ſi cordi jungitur, cui ſocietatis omni genere conſentit, primaria. Nec enim ut cæteræ partes, vivificum nectar ſalis aut ſulphuris alieni, vel alterius, utcumque proprii excrementi, puta phlegmatis, illuvie tantùm ἐμμόδως repurgat, ſed dum chylus continuo vectigali per ductus thoracicos in ſanguinem confluit, eidem à pulmone exactè miſcetur, & uterque liquor in unum ſubactus attollitur, ſpumeſcit, fervet: ut autem vinum, ſic ſanguis, & quid non fermentatione perficitur? Hæc enim naturæ virtus eſt, & magna potentia, quæ vitæ & mortis, ſanitatis & morbi, generationis & corruptionis utramque paginam prorſus implet. Nihil tamen eſt aliud, quàm liber ignis & ſolutus, qui vel capitur ipſe, vel captum ſolvit. Hæc verò aëris hauſtu præſertim in pulmone fovetur, cujus contagione cruor tum floridiore purpurâ veſtitur; tum verò ſpirituaſcit, & vitalis animæ flammâ accenditur.

II.

HIC eſt vitæ & caloris innati fundus, dum flos ſalis tenuiſſimus per aërem ſparſus, cæleſtibus igniculis prægnans, tepeſcit in ore, fervet in pulmone, & per univerſum corpus diffunditur, ſulphureo-ſalinis ſanguinis partibus inſpirando mixtus, quarum concurſu fermentatio vitalis in corde & pulmone jugiter abſolvitur. Unde hominis ψυχὴ ἀεὶ φύεται μέχρι θανάτου; quia calor nativus indeſinenter excitatur &

fluit. Aëris ergo haustu non refrigeratur cor aut sanguis; nisi quatenus uterque modicè incalescit, & febris corpus non depascitur. Ubi sal spirituosus & penetrabilis exhaustus fuerit, aër ejusdem ferè molis, sed effœtus, fuliginosus, vacuus, sine pondere, sine elatere, suique cadaver, exspirando rejicitur, in exitu linguæ & laryngis modulamine, vox prætereaque nihil, nisi circumfusi spiritus pressione summam regionem conscendat, novo cæli influxu locupletandus. Ni faciat, ruit humana societas, tui meíque altercationibus jam plus æquo labefactata; quanto enim acrius aëris quàm terræ tractus vindicabitur, si vitalis ejus virtus non resarciatur? Hæc est alterna motûs partim proprii, partim alieni in pulmone reciprocatio; non cuivis, sed propriæ tantùm, & sui juris vitæ coæva. Cessat enim in fœtu, quia materno spiritu vivitur per umbilicum, qui tunc pulmo est; sicut in edito pulmo est umbilicus, per quem dias in luminis auras puer exceptus in vitam Universi radicatur. Tunc quæ Harveii sphinx est, qui nonimestri toto transpirando vixerat, sic respirare cogitur, ut lucis & aëris usurâ ne momento vacet; alioqui συῤῥοὴ vitalis intercipitur, & celebris perit illa periodus Hippocrati non ignota, quâ singulis horis duodecies circiter universus sanguis incudi redditur. Hujus εὐκινησία vita est, & sanitas animantis; interceptio, mors; pigrities & mora, morbus quem describimus.

III.

PERIPNEUMONIA frequentiùs, πλευμονὶς interdum simpliciter Hippocrati dicitur; ut quod nomen vulgus phtisicis tribuere solet, Præceptori sit tuberculum pulmonis, ubi calefactus aliquando bilem, sæpè sanguinem, plerumque verò pituitam attrahit, nec dimittit, id est ex circuitus humorum lege retinet. Triplex est ergo, eaque prorsus contraria peripneumoniæ causa antecedens. Inde quidem bilis, evectum sulphur, sanguinis incendiculum, fundens & colliquans, promptioris & immodicæ fermentationis fomes, cui præceps concretio in pulmone succedit: hinc verò pituitæ crudor lentus vesiculas pulmonis infarciens, ejusque alas quasi

visco irretiens. Inter utrumque sanguis ambigit, dum vel proprio interdum vitio peccat, & fusus supra modum incalescit; deinde verò potûs vel aëris frigidioris illapsu, vel interni cujuslibet coaguli manifestâ vel occultâ aciditate concrescit: semper autem alieno nocet. A quâlibet enim circuitionis remorâ naturali motu prohibitus, & in viscere sanguisorbo stagnans, brevi illud in immensum attollit, quando ξυστραφῇ, ϗ ξυμπαγῇ. Hinc à causâ etiam frigidâ, vel tantùm obstruente, mille symptomatum terror, rigor scilicet, febris acuta, dyspnæa, sitis, tussis, ἀλυσμὸς, linguæ nigredo, sputum flavum aut cruentum, delirium, vomitus; ut, quod mireris, ferè par sit in hoc casu bilis & pituitæ acerbitas. Quippe locus hanc audacem facit, & quam feritatem humori crudo natura negat, pars affecta tribuit; scilicet ex sanguinis Euripo nobilior, quàm ut longas injurias & vitæ mala, σπλάγχνοισιν in primis diu multumque patiatur.

IV.

QUISQUIS ergo ex symptomatum sævitiâ morbi causas scrutabitur, impinget, & naturæ incandescentis nec se impunè in principatu opprimi patientis tumultus, humoris caliditati, acrimoniæ, & si diis placet, malignitati frustra plerumque assignabit. Bilis quidem orgasmus non est inane nomen; & quando datur, eo gravior, quo pungit acutius, sed rarò datur etiam in calidâ regione; quanto rarius in frigidâ vel boreali. Bilem tamen à pituita, in peripneumonia distinguere, tanti est, quanti curare, vel interficere. Hinc nempe variat, immo opponitur ἔνδειξις: enimvero si bilis, vel sanguis in venis accensus tumorem calidum Hippocrati dictum pulmoni incutiat, utrumque cognosces, ἀμφιδέξως quidem, tum prædictis, tum majore caloris incendio, quando æger respirat ἀθρόον, & nares dilatat velut equus ex cursu; tum verò linguam exerit ut canis æstate, dorsumque & latera ardent, velut ejus qui sedeat ad ignem, & rubores exoriuntur velut à flamma, & morsus fortis incidit & ἄπορίη. Sed concursus fiet παθογνωμικὸς ex aëris constitutione; unde θερμόν τι, si morbus æstate ἐν ὥρῃ maximè fiat: tum verò si biliosus

æger ὀξύθυμος, θερμοκοιλός, ἐπίφλεβος, γεγυμνάσμενος, πυκνὸς; si venter σκληρὸς, κατάπυκνος, ἀπέραμνος; denique si in rerum non naturalium usu ad bilis proventum & intemperiem calidam inclinet. Tunc venæ sectio velut ἡγεμονικὸν summo jure debetur, non tantùm ex cubito, sed ex naribus, linguâ, & quâcumque corporis parte; alterantia sumpta & admota refrigerent; & ne conceptus sanguinis fervor ultra progrediatur, vino tanquam veneno prorsus interdicatur; anacatharsis & transpiratio tanquam summum bonum omni arte procuretur, alvus clystere vel blando medicamento subducatur. Hæc bilis & sanguinis in pulmone furentis, medicina esto.

V.

CUM verò Juppiter hybernus, ut nuper, regnat, & canâ nive conspuit alpes; cum frigus diuturnum & penetrabile ψυχρὸν ὑπόψυχον, aëris haustu rectâ sanguinem & pulmonem ferit, & interceptâ ζυμώσει, quod proprium est frigoris maleficium, ventriculi coctionem inquinat, cujus virtus naturâ, morbo, errore debilitatur; si desit ὀξυρεγμίη, præcesserit οἰνοφλυγίη, γαστριμαργίη, κρεοφαγίη, cujusdam piscis, vel cujuslibet edulii gelu rigentis ingluvies. Tum certè pituitam, ex recenti & vernaculâ epidemicam fieri necesse est, & azymâ cruditate ventrem venasque repleri; cujus contagio sanguis prius ἐρυθρὸν καὶ εἰλικρινὴς, jam νοσώδης, à pristini nominis officiique dignitate excidat, nec συῤῥοῇ, nec periodo vitali amplius sufficiens. Quapropter hyems suæ peripneumoniæ ferax est, cujus signa, ut dictum est, æstivæ signis plerumque alludunt: sed cave, ne te hâc specie deludant. Si enim utramque pari modo cures, væ miseris! tuo enim paralogismo citiùs peribunt, quàm analogismo liberentur. His plerumque in morbi insultu cùm tussis vel spiritus urgere incipit, vel sputi cruenti terret epiphænomenon, prima vel altera phlebotomia Chirurgi πολυπράγμονος facinus est, sed Medici τύχοντος assentatione brevi obtegendum. Is enim tandem accersitus, ter quaterve facile & magnum, sed anceps præsidium sine diorismo, sine vera indicatione præscribit; plus etiam ausurus, ni vulgi jam frementis rumor ab incepto

deterreat. Subſiſtit ergo, cùm non rarò pergere ſatius: nam ſæpè largiori minus, quàm mediocri detractione peccatur; quippe illâ, ſi vires valent, cum ſecuritate univerſam morbi mineram detrahi contingit; ægroſque adeo, tardius quidem, periculoſius, nec ſine recidivæ aut permutationis metu, ſed tamen utcumque liberari. Sed mediocri venæ ſectione quid proficitur, ſi corpus ſit ἀκάθαρτον? ῥεύματος ὁρμαὶ ὠθεῖ nulla ſit αἰτίζπαοις; quinimmo in partem affectam ruit impenſius, undecumque moveatur: adeoque omnia exacerbari neceſſe eſt, niſi in peripneumonia molli materiæ benignioris paucitas Medico ſuccurrat inerti. Ut ergo in moribus, ſic in Medicinâ via media nulla eſt, quæ neque amicos parat, neque inimicos tollit. Quanto rectius Hippocrates ſaburram ex ventre & venis, ipſiuſque pulmonis confinio catharſi opportunâ ſurſum deorſumque eliminat, nec Thapſiæ, nec Elaterio, nec Helleboro, multo minus Tetragono parcens, ſi res ægrotantis vel exigunt, vel patiuntur. Sic analogâ & tempeſtivâ evacuatione, plerumque morbus & ſymptomata ſolent obliterari, ut inſperata ſalus ægrotantem & adſtantes percellat. Si ῥεύματος συνισαμένου nonnihil ſuperſit, tutâ & facili, nec copioſâ ſanguinis detractione derivabitur; vel ἀτμοειδῶς diaphoreticorum & cardiacorum uſu leniter expirabit. In his modica θώρηξις præcipua eſt, hybernæ tempeſtati, morbiſque, præſertim pectoris ſemper amica, hâc medicinâ tutò, citò, & jucundè curandis.

Ergo *Peripneumoniæ hybernæ* κάθαρσις ἡγεμονικόν.

Has Theſes proponebat EZECHIEL FRANCISCUS TRAIN, *Pontepiſcopæus, die Sabb.* 17. *Martii, A. R. S. H.* *M. DC. LXXXV. ab horâ* 8. *matut. ad merid.*